

fit captus & usu rationis privatus? Hinc sufficit, quod una vel altera circumstantiarum ignoretur, & non requiratur, ut omnes agentem fugiant. Porro hic observetur, quod ad actionem invitam per ignorantiam requiratur, ut circumstantia actionis essentialis & intrinseca, quæ ad actionem substantialiter pertinet, ignoretur. Nam aliàs si ignoratur circumstantia quædam non pertinens ad substantiam actus, non statim erit actio invita sive involuntaria, quia non ignoratur substantia actionis, eâ autem non ignoratâ, actio invita seu involuntaria per ignorantiam dici nequit. Si nunc accidat, ut concurrant circumstantiæ, quarum aliquæ sint actioni essentielles, & pertineant ad substantiam ejus secundum unam rationem, sint autem eadem quoque accidentales & ad substantiam ejus non pertineant secundum aliam rationem; actio voluntaria est & obligat, si cognoscantur illæ circumstantiæ, quæ sunt essentielles, nec potest fieri involuntaria ex ignorance accidentalium, etiam si fortè actio, nisi ignorarentur accidentales circumstantiæ, non fieret. Rem declarat exemplo *B. Schlevogtius, Philosophus, dum viveret, acutus, & mus* in disputat. 7. de Voluntario §. 28. cujus verba, quia sunt lectu digna, adscribere non pigramur. *Si puella, inquit, nubat Adolescenti, quæ putet esse Candidatum Juris, qui tamen nihil minus sit, quam Candidatus; ignorat illa aliquam circumstantiam contractus illius matrimonialis. Sed quia circumstantia illa ad substantiam contractus matrimonialis non pertinet, qui spectat mutuum duntaxat auxilium & mutuam traditionem corporum ad generationem, ad quæ conditio personæ, ut quis doctus sit, vel dives, vel nobilis, jure naturali non requiritur; idè etiam ignorantia ejusmodi contractum matrimonialem non potest reddere involuntarium & consequenter nec invalidum. Non itaq; ad rationem voluntarii requiritur omnium circumstantiarum cognitio. Hæc ille.*

§. IX.

Ex his videre licet, quod una eademque actio pro ratione diversarum circumstantiarum, unâ ex parte Spontanea & voluntaria, alterâ verò ex parte invita & involuntaria appellari possit. Nam si duplex malitia moralis in actu quòdam pro cir-

cum